

144

142

148

138

153

133

193

093

243

043

Galilaeae, qui pisces Coratinum gignit, qui nusquam reperitur, nisi in eo et in Nilo, ex quo putant, eum fontem de Nilo recipere aquas. Ille etiam fons, qui est in ecclesia beatae Virginis in valle Josaphat, dicitur habere aquam de paradyso, ut dictum parte 1. fol. 144. Fons insuper beatae Virginis in horto balsami inde aquam sine dubio habet. Sic etiam tres alii paradisi fluvii se communicant, sicut Jordanis creditur suas aquas habere ex Tigride et Euphrate, ut dicitur Parte 1. fol. 199., et Nilus auctus esse ex Gange, qui maximus inter quatuor dicitur fuisse. Sed Cyrus, rex Persarum, flumen iratus propter submersionem cuiusdam militis sui, eum deduxit in CCCCXL alveos, quorum aliqui Nilo miscentur. Ex quo patet, quod peregrini, qui de Jordane biberunt et de Nilo, de aqua quatuor paradisi fluminum potaverunt, in quo ubique gloriari vanum non est.

Ad commendationem etiam Nili maximam facit, quod orbem dividit et duas ejus principales partes facit, Africam enim distinguit ab Asia majori, ab austro habens Africam, ab aquiloni Asiam. Habet et hoc singulare, quod nullos penitus ex se spirat auras, sicut aliae aquae.

De belluis, quae in Nilo flumine sunt.

(B) Fluvius Nili praeter hoc, quod terram foecundat, in se ipso foecundus existit. Nam piscibus optimis abundat in multiplice specie, magnis et parvis, belluas etiam immanes producit, ut cocodrillos et hippotamos, equos fluviales et alia hujusmodi saeva multa. De jam tamen nominatis parum inferam.

Cocodrillos plures vidimus in navigatione Nili, ut patet in praecedentibus. Est autem cocodrillus quasi bestia saeva et horribilis, formae aequalis lacertae, quantitate tamen multum dissimilis, ex ovo generatus; ova enim in terra fovet, quae sunt ovis anserum paullo majora, ex quibus procedentes vix habent palmae longitudinem, sed ab ea hora, qua vivere incipit, crescit, semper proficiens in longum et latum quamdiu vivit et, si viveret centum annis, semper cresceret, pervenitque ad longitudinem XX cubitorum quandoque, nec est aliud aliud, ut dicit Albertus de animalibus, quod ex tam parva origine in tam immanem bestiam proficiat.

Ende

Anfang

